

procubuisse domum atque exutos Arcadas armis? 396
 haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens
 et quos mille die victor sub Tartara misi,
 inclusus muris hostilique aggere saeptus.

"nulla salus bello." capiti cane talia demens
 Dardanio rebusque tuis. proinde omnia magno 400
 ne cessa turbare metu atque extollere viris
 gentis bis victae, contra premere arma Latini.
 nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremes-
 cunt,

nunc et Tydides et Larissaeus Achilles,
 amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas. 405
 vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit,
 artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
 numquam animam talem dextra hac, absiste moveri,
 amittes: habitet tecum et sit pectore in isto.

nunc ad te et tua magna, pater, consulta revertor. 410
 si nullam nostris ultra spem ponis in armis,
 si tam deserti sumus et semel agmine verso
 funditus occidimus neque habet Fortuna regressum,
 oremus pacem et dextras tendamus inertis.

quamquam o si solitae quicquam virtutis adesset! 415
 ille mihi ante alios fortunatusque laborum
 egregiusque animi, qui nequid tale videret
 procubuit moriens et humum semel ore momordit.

sin et opes nobis et adhuc intacta iuventus
 auxilioque urbes Italae populique supersunt, 420
 sin et Troianis cum multo gloria venit
 sanguine, sunt illis sua funera parque per omnis
 tempestas: cur indecores in limine primo
 deficimus,² cur ante tubam tremor occupat artus?

multa dies variique labor mutabilis aevi 425
 rettulit in melius, multos alterna revisens
 lusit et in solido rursus Fortuna locavit.

non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
 at Messapus erit felixque Tolumnius et quos
 tot populi misere duces, nec parva sequetur 430